

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3641

Auteur(s) : Urbain IV [pape]

Bénéficiaire(s) : Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1263, 9 mai

Lieu d'émission : Orvieto

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Bulle d'Urbain IV adressée à l'archevêque de Rouen concernant l'élection de l'évêque de Bayeux à la suite du décès de l'évêque Guy.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 689, p. 145-146.

Texte établi d'après a

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Rothomagensi, salutem et apostolicam benedictionem. Inter primas sollicitudinis apostolice curas hec debet esse propensior, ut ad pascendas Xpisti oves tales, nobis providentibus, persone procedant, in quibus, per vite meritum ac prerogativam scientie, fidelis commissorum dispensatio commendetur. Dudum siquidem bone memorie Guidone Baiocensi episcopo viam universe carnis ingresso, capitulum Baiocensis ecclesie, die ad celebrandam electionem futuri pontificis assignata, omnibus qui voluerunt debuerunt et potuerunt comode interesse, tum per se, tum per procuratores, presentibus, convenientes in unum, et die ipsa in diem continuata sequentem, per viam temptantes procedere compromissi, quia hii, quibus providendi eidem ecclesie de pastore collata fuerat, duratura ad certam horam, potestas, nequiverant in aliquam convenire personam, per viam procedere scrutinii curaverunt, et hujusmodi publicato scrutinio, et collatione facta canonica, cum in dilectum filium Oddonem, electum Baiocensem, tunc ipsius ecclesie canonicum, majorem partem ipsius capituli, et aliquos ex aliis in dilectum filium magistrum Adenulfum, capellanum nostrum, ipsius decanum ecclesie, convenisse, ac divisisse in diversos reliquos vota sua, constaret, hii qui in personam ejusdem electi consenserant ipsum continuo per dilectum filium G., ipsius ecclesie archidiaconum, sibi ad hoc libera potestate concessa, in ejusdem ecclesie episcopum elegerunt, parte ipsius decani propter hoc ad sedem apostolicam appellante. Sane hujusmodi electionis negotio per appellationem hujusmodi ad sedem devoluto eandem, et apud ipsam, coram venerabili fratre nostro. Penestrinsi episcopo auditore, per felicitis recordationis Alexandrum Papam predecessorem nostrum, super hoc deputato, eisdem partibus constitutis, et aliquibus ab adversa parte, quibus eundem Electum ineligibilem fuisse pars eadem ostendere nitebatur, objectis, ac super ipsis et aliis diutius disceptato tandem idem electus, per procuratorem habentem ab eo ad hoc speciale mandatum, et dictus decanus, per se, in manibus nostris renuntiaverunt spontanei omni juri quod eis ex consensu et electione hujusmodi competeat. Porro nos de ipsius ecclesie ordinatione sollicite cogitantes, ne ipsa in grave sui dispendium et animarum periculum remaneret diutius, si forsitan iterate dissensionis emergeret scrupulus, viduata, cognito, tam

per fratres nostros quam per alios fidedignos, qui eundem electum per conversationem diutinam secum habitam plenius cognoverunt, quod ea que sibi objecta fuerant nulla erant veritate subnixa, quodque vir est preminentis scientie, munde vite, conversationis honeste, in spiritualibus providus, et in temporalibus circumspectus, et idoneus ad quamlibet ecclesiasticam dignitatem, considerato quoque quod major et sanior pars capituli supradicti eundem Electum duxerat eligendum, de ipsorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis, ipsum eidem ecclesie in episcopum prefecimus et pastorem, firmam spem fiduciamque tenentes ex laudabilibus testimoniis, que de sue circumspectionis industria predicantur, quod prefata ecclesia sub suo regimine grata suscipiet in spiritualibus et temporalibus, auctore Domino, incrementa. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus ipsum tanquam suffraganeum tuum habens cum commissa sibi ecclesia, propensius commendatum, eidem munus consecrationis impendas et benigno favore assistas, in quibus cum Deo poteris, et ipse te duxerit requirendum, ita quod tua exinde possit devotio merito commeudari. Datum apud Urbem Veterem, VII idus maii, pontificatus nostri anno secundo.